AUGUSTINUS

Klosterneuburg, 3. Drittel 12. Jh. Seite 244r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=388
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

dos. mundus per eum factus est. & mundus eum non cognouit. Non mundus qui factus est per ihm regitur ab illis principibus & potestatibus tenebrarum harum. sed mundus qui non cognouit ihm. id est dilectores mundi. peccatores. iniqui. superbi. infideles. Unde mundus? Quia diligunt mundum. & diligendo inhabitant mundum. quomodo domus dicitur. & fabrica & inhabitantes. bona domus. plerumque bona fabrica. & bona domus quia boni conuersantur in ea. Et caue domum istam quia mala est. Duobus modis dicitur mala est hec domus. Caue forte propter ruinam ne aliquid cadat & te premat. Dicitur & sic alio modo quemadmodum caueas domum istam malam. ne incurras in laqueum uenantium. ne pauper opprimaris a diuite. ne fraudem aliquam patiaris. Quomodo ergo domus & domus. sic mundus & mundus.

Quare autem iusti cum sint & ipsi in mundo non dicuntur mundus? Quia dicit apostolus. in carne autem ambulantes non secundum carnem militamus. conuersatio nostra in celis est.

Habitat hic iustus in carne. sed corde cum deo est. Et tu ipse appellaris mundus. si sine causa audis sursum cor. Si autem est causa quare audis. sursum habitas.

Et mortui enim estis dicit. & uita uestra abscondita est cum christo in deo. Quorum autem uita hic est. id est quorum desiderium & amor hic est. hic continetur. hic implicantur. hi dicuntur habitatores mundi. Et hi dicuntur mundus illi qui habitant mundum. sicut hi dicuntur domus illi qui habitant domum. Mundus ergo & mundus.

Mundus per eum factus est. & mundus eum non cognouit. Ecce mundus factus per dominum. ecce mundus qui non cognouit dominum. Lauda tu fabricam. & ama fabricatorem. & noli amare habitare in fabrica. sed habita in fabricatore. ERUE me a persequentibus me. quoniam corroborati sunt super me. Quod dixit corroborati sunt super me.

Corpus christi clamat. Ecclesie uox est. Membra christi clamant. Multum creuit numerus peccatorum quoniam habundauit iniquitas. refrigescet caritas multorum.

Erue me a persequentibus me. quoniam corroborati sunt super me. Educ de carcere animam meam. ut confiteatur nomini tuo. Carcer iste a prioribus uarie intellectus est. & fortasse ipse est carcer qui scribitur & in titulo spelunca. Titulus enim psalmi huius ita se habet. Intellectus ipsi dauid. cum esset in spelunca oratio. Que spelunca. ipse carcer. Duo quedam intelligenda proposuimus. sed unum cum intelleximus utrumque erit. Merita carcerem faciunt. Nam in uno habitaculo quodam alteri domus est. alteri carcer est. Illi qui custodiunt homines inclusos & si in domo sua custodiant. illi quos arcent custodiunt in carcere sunt. numquid & illi in carcere dicendi sunt? Unum habitaculum est & illi & illi. Alteri facit domum libertas. alteri carcerem seruitus. Quibusdam ergo uisum est quod spelunca & carcer mundus iste sit.